

Frühbetrachtung für die Beichtväter um  $\frac{1}{2}$  5 Uhr seyn. Nachmittags kann die Kirche, aber nicht das Serlatorium (24), um 3 Uhr geöffnet werden. Die Beichtväter können um 7 Uhr abends etwas zu sich nehmen, und wenn es die Noth erfordert, noch bis 8 Uhr das Sacrament der Busse verwalten. An jedem Beichtstuhl befinden sich die Casus reservati der Diöcese und schöne, die Reue zu erwecken fähige Bilder.

Endlich, nach 6 Wochen sollen alle Inventarien und Bücher des Hauses ganz in Ordnung gebracht seyn, um dann alsogleich der Consulta zur Einsicht und Prüfung vorgelegt werden zu können, bey welcher Consulta zugleich der R.P. Rector über die genaue Haltung und wirkliche Vollziehung Ihres gegenwärtigen Recesses sich ausweisen wird (25).

IOANNES WOJNOWSKI

NOVA S. CLEMENTIS BIOGRAPHIA CRITICE PERLUSTRATA (I)

E. Dudel, natus Berolini an. 1912, redemptorista, per plures annos capellanus nosocomii publici Coloniae Agrippinae et in civitate Rosario (Argentina), iam prius edidit opus illud cui titulus: *Anwalt Gottes und der Menschen: Alfons von Liguori* (2). Etsi fortasse non par J. Huizinga in *Herfsttij der Middeleeuwen*, attamen cum bono exitu utitur eius methodo describendi res gestas « ab interiori, ab intimis », conceptibus et verbis testium immediatorum vel intermediorum, quod impressionem dat legentibus quasi essent « inter homines illius temporis acti ».

Vitam S. Clementis (1751-1820) in duas partes diversas dividit: *Impetus* (1751-1808) et *Silentium* (1809-1820). Etiamsi difficultas moveri posset de

(24) Vermutlich: Parlatorium, Sprechzimmer.

(25) Hier ist wohl die Consulta oder der Rat des Generalvikars gemeint. Dieser Rat wurde 1830 neu bestellt; seitdem war auch P. Franz Kosmacek dessen Mitglied. Vgl. *Spic. hist.* 2 (1954) 47.

(1) ERWIN DUDEL, *Klemens Hofbauer. Ein Zeitbild*; Hofbauer-Verlag, Bonn 1970; 8°, 312 pp.

(2) Hofbauer Verlag, Bonn 1963, 258 pp. Versum mox in linguam hispanicam a J. AHRENS, *Un abogado de Nápoles*, Madrid 1965.

ipsis titulis harum duarum partium, eos nempe nimis « externos » esse, id tamen quod continent vere « huizingianum » est.

Primo intramus intus in politicam et culturam imperii austriaci, russici et napoleonici, in domum Hofbauerorum in Tasovice Moraviae (Tasswitz) et Znojmu (Znaim), in vias peregrinorum ad varia sanctuaria, Roma comprehensa, denique Varsaviam regis Stanislai, Russorum, Prussorum, Napoleonis, descriptam verbis Seume, Z. Werner, J. Sabelli, K. Jestersheim (3).

Secunda pars, quae extensione non multum superat primam, historice magis accurata est et praestantior in descriptione « ab intus », non solum *mundi sublimioris* Europae et Vindobonae, sed etiam et praepriis *Circuli Hofbaueriani*, qui initio magis silentiose agebat quam bennonitae varsavienses, sed effective et ad longiorem temporis tractum, plures et magis duraturos fructus tulit. Capita de Friderico et Dorothea Schlegel, de Zacharia Werner, de Klinkowström, Julia Zych, Szechenyi, aliisque, praetereundo iam Congressum Vindobonensem et partes quas in eo Circulus Hofbauerianus habuerit, de apostolatu diariorum directo a S. Clemente et « extorta » ab imperatore « Francisco Bono » approbatione redemptoristarum in Imperio Austriaco, non obstantibus « machinationibus massonicis Illuministarum », ac donatione ecclesiae slavicae Mariae Stiegen redemptoristis facta... Haec omnia tam alte clamant, ut non possint cum A. dici *Silentium*. Agitur de vera huizingiana imagine-descriptione temporum (Ein Zeitbild), qua A. omnino superavit suos eximios antecessores J. Hofer (4) et E. Hosp (5).

Non recte tamen Auctor nixus est praesertim primae ex laudatis monographiis, bonae quidem sed iam antiquatae si comparatur cum illa P. Hosp, quae historice melior dici debet. Hac de causa incidit in errores, quos re vera vitare potuisset.

Primo, in eo quod attinet ad locum originis et testimonium baptismi Petri-Pauli Dvorak, patris S. Clementis, non distinguit, vel potius confundit, Budweis (Budejovice Ceske) et Budwitz (Budejovice in Moravia) (6). Ad dendum est habitatores loci vocare Budejovice in Moravia vel etiam Pojedice (7).

Huic adnectitur « pugna inter Bohemos et Germanos » de nomine S. Clementis: *Dvorak* aut *Hofbauer*, quod vere salomonico iudicio solvit iam P. Gen. Mauron († 1893) dicens in regionibus linguae slavicae recte eum vocari *Dvorak* (innitendo testimonio baptismi patris S. Clementis), in regionibus autem germanicis (innitendo testimonio baptismi S. Clementis) *Hofbauer*. S. Clemens semper ita subscribebat et se ipsum « catholicum theoticum » dicebat (8).

(3) Non Jestersheim, cum *m* finali, ut A. semper scribit.

(4) J. HOFER, *Der hl. Klemens Maria Hofbauer. Ein Lebensbild*, Freiburg 1923<sup>2</sup>.

(5) E. HOSP, *Der hl. Klemens Maria Hofbauer, 1751-1820*, Wien 1951.

(6) MH, XI 232 et XII 35. Quod bene explicavit iam E. Hosp, o. c., p. 7; *Spic. Hist.* 4 (1956) 87-112.

(7) *Przeгляд Katolicki*, Warszawa 1864, p. 463. Haec observatio probabiliter est A. Prusinowski, testis in processu beatificationis S. Clementis.

(8) Hoc sensu corrigendum est quod scribitur in *Homo Dei*, 1970, N. 3, p. 205.

Magister S. Clementis in arte pistoria in Znojnm, Dobsch, nomen habuit Francisci, non Matthiae, quod nomen fuit eius discipuli Nachtigall (9).

Quaedam puella (p. 22), quae in veste virili a. 1776 peregrinata est cum S. Clemente et duobus studentibus Romam, ut ibi monacha fieret, et postea, nugas faciens et a S. Clemente fugata ulta est anno 1817 eum custodibus ordinis publici denunciando, ipsique multas difficultates causando, appellabatur Clara Kurzmann (10). Nulla est ratio ut id occultetur (p. 285).

Nulla habemus argumenta ex quibus constet S. Clementem a. 1785 audientiam habuisse apud Pium VI, clara autem sunt testimonia eum admissum esse in conspectum Pii VII a. 1803 (11).

Similiter certum est S. Clementem a. 1785 Roma profectum esse Vin-dobonam ad frequentandum altiorem cursum catecheseos, cum destinatione eundi in *Poloniam Russam* (12), sed non ita certum est id significasse Bialorussiam vel Mohylew (p. 59), quod ipse Sanctus clare negat in epistola ad Wittoli a. 1788 (13). Ergo certior est hypothesis nomine *Polonia Russa* designatam esse potius Mitavam in Kurlandia, quae quidem nondum adnexa erat imperio russo in Prima Dismembratione Poloniae etsi iam occupata esset a militibus imperatoris et accessus ad eam fuisset difficilis. J. Kossakowski, episcopus Kurlandiae (1781-1794), per multos annos imploravit auxilium pastorale pro hac urbe, quam reliquerant Patres Societatis Jesu, proficiscentes in Bialorussiam. S. Clemens clare scribebat de hac re in suis litteris et tandem tres bennonitas eo misit anno 1795 (14).

Quod S. Clemens mense Februario anni 1787 dirigeretur in Stralsund (Strzałów, prope insulam Rugiam) et non in *Poloniam Russam*, explicari debet ex mutatione prioris decisionis facta a card. Albani inter diem 22 Septembris 1786 et Februarium anni 1787 (15).

Auctor, ut etiam J. Hofer et E. Hosp, nullam mentionem facit primaevae commorationis S. Clementis in Collegio, olim Jesuitarum, in via sw. Jana Varsaviae, a mense Februario a. 1787 ad mensem Augustum a. 1788, dum ecclesia et hospitium in Nowe Miasto restaurarentur, ut clare continetur in fontibus (16). Ingressus factus est ante diem 18 mensis Augusti a. 1788, probabiliter ante festum Assumptionis Beatae Mariae Virginis, quod abhinc semper cum octava celebrabatur (17).

Anno 1808 S. Clemens Varsaviae habebat: 17 sacerdotes, 10 clericos

(9) MH, XV 181 et II 70; XII 64, 65.

(10) Ibidem, XIII 102.

(11) Ibidem, III 91; XI 175, 278.

(12) Ibidem, IV 135.

(13) Ibidem, VIII 148.

(14) Ibidem, I 12; II 5; IV 139; V 4; VII 18, 105; VIII 43, 45, 56, 190, 220; XIV 104.

(15) Ibidem, XV 175; II 29, 47; IV 143.

(16) Ibidem, VIII 147.

(17) Ibidem, II 31.

et 9 fratres coadjutores (p. 65), sed simul dicendum est e S. Bennone, inter annum 1788 et 1808, 66 redemptoristas prodiisse (18).

Plus quam 100.000 communionum per annum (p. 73) numerantur, non ab anno 1800, sed ab anno 1807 (19).

Caecilia Chołoniewska (p. 74) novit personaliter S. Clementem solum Vindobonae ab a. 1816; prius e narratione familiae et notorum (20). Janów Podolski fuit proprietas viri eius sororis, Aemiliae Grocholska, ipsa vero fuit ibi hospitio recepta et qua «Alexis» adamavit nuntium S. Clementis Z. Werner (p. 202), qui ei suasit ut nomen daret Congregationi a Visitatione Beatae Mariae Virginis. Mortua est anno 1880.

Sacerdos A. Prusinowski S. Clementem non novit immediate (p. 75), sed id, quod in processu beatificationis anni 1864 deposuit, a sua matre audiverat; illa autem ecclesiam bennonitarum frequentabat (21).

Commissarius, cui demandata est diligens invigilatio durantibus missionibus in Brochów et Hów, appellabatur Ketrzynski, non Kentrzynski (p. 79).

Distinguenda est ecclesia S. Crucis, Cong. S. Vinc. a Paulo, Varsaviae (p. 82), ab ecclesia S. Crucis *na Polu* (in Campo) Zoliborz, in qua bennonitae ministerium exercebant ab anno 1797 (22). Etiam laborabant, sine possessione ecclesiae, in Radzymin (p. 82), ubi celebratus est P. Kownacki ab anno 1797 docens populum cantus bennonianos (23). In Łutkówka (p. 82) acceperunt formaliter ecclesiam anno 1803, sed eam similiter administrabant ab a. 1797 (24).

Austriaci custodes ordinis publici S. Clementem in carcere claustrali PP. Dominicanorum Cracoviae detinebant (p. 88). Ibi hodie, in ingressu Collegii, tabula commemorativa cernitur. Incarceratio fere per 5 menses duravit: a die 22 Aprilis usque ad diem 5 Augusti anni 1798. Hinc Sanctus ingeniose Varsaviam aufugit (25).

Inter itinera S. Clementis anni 1799, Auctor silet eius commorationem in *Swieta Lipka* in Warmia (Ermland) (26).

Incarceratio S. Clementis «in cella subterranea cum ranis» (pp. 107 et 135) ac violenta abductio P. Hübl extra urbem, ubi crudeliter usque ad sanguinis effusionem cruciatus est, ex odio, quia confessiones mulierum ex altiore societate excipiebat, innixa duobus testimoniis independentibus, nempe:

(18) J. WOJNOWSKI, *Activitas redemptoristarum varsaviensium annis 1787-1808*. Ms. dactylographatum, Kraków 1946, p. 123.

(19) MH, VIII, 116.

(20) B. ŁUBIENSKI, *Apostoł Warszawy*, 1906, p. 8, 259, etc.

(21) MH, XI 293.

(22) Ibidem, VIII 62.

(23) B. ŁUBIENSKI, l. c., p. 112.

(24) Ibidem, p. 109.

(25) MH, I 44 N. 67; XII 237.

(26) Ibidem, VIII 193.

sac. A. Prusinowski (27) et P.B. Łubienski (28), atque testibus de visu, videtur in dubium verti a claro et bene merito editore *Monumentorum Hofbauerianorum* hoc argumento: «traditio P. Łubienski non videtur consona veritati, quia P. Sabelli nihil sciret de hac re» (29). Constat autem P. Sabelli ab anno 1802 in Helvetia fuisse, et casus S. Clementis et P. Hübl accidit, probabiliter, inter mensem Martium et Julium a. 1807. Itinera ambo prius fecerant in Helvetiam annis 1802-1804 et 1804-1807. Praeterea, S. Clemens in reditu in morbum incidit et a die 2 Decembris 1806 usque ad finem Martii 1807 cum P. Hübl commoratus est in Pruszyń (30). Ergo ambo casus vapulationis locum habere potuerunt solum inter Aprilem et Julium anni 1807, nam P. Hübl, contracta febris typhoica, iam die 4 Julii anni 1807 mortuus erat. Potuit quidem S. Clemens haec P. Sabelli Vindobonae narrare annis 1813-1819, sed ibi P. Sabelli duas sectas inter Ursulinas causaverat et non multum amice erga S. Clementem se dispositum sentiebat, nec ad confidentias mutuas faciendas proclivem (31).

Annis 1798-1804 fuit Episcopus Varsaviensis Jozef Boncza-Miaskowski, olim miles et parum erga bennonitas dispositus (32).

P. Hübl Varsaviae non solum bonus confessarius fuit (p. 133), sed etiam concionator in lingua polonica, superior missionis in ecclesia S. Andreae ipsius civitatis Varsaviae, in Brochów et in Iłów (33), ac praeterea examinador curialis neopresbyterorum vars., examinador prosynodalis et lector theologiae moralis et iuris canonici in seminario bennonitarum.

Primas notitias de «rebellionem Bavariorum vocatorum ad arma» contra insertionem in exercitum Napoleonis, orta sub inspiratione redemptoristarum in Babenhausen (dependentium a Collegio varsaviensi S. Bennonis), transmisit Berolino Varsaviam die 2 Februarii anni 1808 J.K. Szaniawski, tunc acerrimus hostis bennonitarum et ab anno 1814 magnus eorum amicus, praesertim S. Clementis Vindobonae et P.J. Podgórski in Piotrkowice ad Kielce (34). Hae notitiae communicatae sunt magistro militiae Davoust Varsaviae et postea iam omnia successere celeriter, mediante mandato Napoleonis e Bayonne, usque ad incarcerationem bennonitarum die 17 Junii et deportationem in castellum Kostrzyn die 20 ipsius mensis Junii anni 1808 (p. 141).

Patres varsavienses Ordinis S. Francisci per aliquod tempus solum ministerium exercuerunt in ecclesia S. Bennonis, quae non fuit eorum propria (p. 141). Addi potest redemptoristas polonos accepisse denuo ecclesiam in possessionem die 22 Junii anni 1958, cuius facti Auctor mentionem non facit.

(27) *Przegląd Katolicki*, Warszawa 1864, p. 291 et seq.

(28) B. ŁUBIENSKI, l. c., p. 161-164.

(29) MH, XV 145.

(30) Ibidem, VIII 235 et 251.

(31) E. DUDEL, *Klemens Hofbauer*, p. 161.

(32) Et non *Majewski*, ut scribit A. Quod tamen recte tradit E. HOSP, o. c., p. 32.

(33) MH, XV Index locorum, ad verb.

(34) M. MANTEUFFLOWA, J. K. Szaniawski, *Ideologia i działalność* (Ideologia et actio), 1815-1830, in *Rozprawy hist.* (Studia hist.) 16 (1936), fasc. 2, p. 34 e.a.

Altaria et alia utensilia ecclesiastica S. Bennonis translata sunt in vicinam ecclesiam Beatae Mariae Virginis anno 1811, non autem anno 1808 (p. 141).

Rector ecclesiae italiae Vindobonae, don Virginio, mortuus est anno 1805. Anno autem 1809 febris typhosa correptus erat eius in munere rectoris successor, don Caselli, quem Auctor identificat cum priore (p. 150) (35).

De *Polonia Vindobonensi*, de qua Auctor mentionem facit, plura hauriri possunt e B. Łubienski (36), qui plures ex his familiis polonicis personarum novit.

Quantum ad P. von Held (p. 213) adjungi potest eius sororem nupsisse civi polono Mielecki, et probabiliter mortuam esse in Mielec ante a. 1906 (37).

Quod attinet ad diaria catholica Circuli Hofbaueriani (p. 248) addendum est J.K. Szaniawski (qui prius hostis bennonistarum fuerat) ex proposito Vindobonam profectum fuisse ut hanc activitatem ibi nosceret et in campum similis activitatis varsaviensis transplantaret (38).

Circa annum 1820 erant in Polonia, in diversis paroeciis, 22 sacerdotes, qui olim S. Clementis discipuli fuerant. Ex his tres in Mitava. Praeterea tres alii poloni (K. Langanki, M. Kozinski et J. Szulski) erant in Helvetia. In hoc numero non comprehenduntur bennonitae aliarum nationum (39).

Redemptoristae in Polonia approbati sunt a Repraesentantibus Nationis (Sejm) in Grodno a. 1793 (p. 307) *semel pro semper*; sed decreto regis, primatis et ordinarii dioecesani admissi fuerant iam a. 1787-1788.

Ex se patet, enumeratos errores sive inadvertentias tantum a peritis in re historica deprehendi posse. Simplex autem lector hunc librum cum vera passione, imo, cum aviditate et ut verum *bestseller* biographicum leget. Auctor, si melius novisset fontes polonicos et magis innixus fuisset operi E. Hosp et, praesertim, *Monumentis Hofbauerianis*, prae sua eximia facultate scribendi, fieret etiam verus *Huizinga Redemptoristarum in Europa saeculi XIX*.

Tuchów, 24 X 1970.

(35) MH, V 1; XI 173, etc. sec. Ind. pers.

(36) B. ŁUBIENSKI, l. c., p. 256-259.

(37) Ibidem, p. 8.

(38) M. MANTEUFFLOWA, o. c., p. 17, 34, 42, seq.

(39) J. WOJNOWSKI, o. c., p. 125 seq.